

gnare attributa: vt pote pios, operatores iustitiæ, amicos Dei, & alia huiusmodi multa vocado. Verum nihil eos hinc vocat, nisi iustos. Complectitur ergo hac vocula summariam illam ac generalem virtutem, cui reliquæ veluti species ac partes subsunt. Iustus & pius est, ac religiosus erga Deum, & bonus erga proximum. Nos Germani iustitiam hanc rectè vocamus, Frombheit: de qua alijs locis diximus, vt hinc non sit necesse repetere.

OBS. 2.

*Vt palma florebit.* ] 1. Obseruandum hinc est, quid de iustis vaticinetur: nempe quod in regno suo sint & vbertim ac copiosè prouenturi, & prosperè habituri. Non est terra vbiuis palmarum & cedrorum ferax, multò minus iustorum feracia sunt quæuis Mundi huius regna. Verum de regno suo cait hinc Propheta, quod in illo sint iusti vbertim nascituri, viridesq; ac frugiferi futuri. Respicit ad discriminè tyrannidis Saulis ac sui regni. Sub Saulis tyrannide florebant impij, tanquam spinæ & vrticæ: sub imperio Dauidis prouenerunt, floruerunt, pingues ac virides fuerunt, & fructificauerunt iusti, velut palmæ ac cedri, quæ in Libano multiplicantur. Quis non videt hinc pulcherrimum delineari regni Christi typum? In eo si quidè verè nascuntur vbertim, ac florent iusti: & ob id etià Christus per Melchisedech regem iustitiæ adumbratus fuit. Pulchrè etiam huc faciunt adductæ arbores palma & cedrus, quarum singulari prouentu Iudæa inclita est, etiam ab exteris prædicata. Iudæam verò terram singulari Dei consilio populo piorum assignatam, non solum typum gessisse regni Christi, sed & illius toti Orbi dedisse principia, notius est, quàm vt sit admonendum. Quapropter nemo etià dubitet, & nasci in regno Christi, & florere iustos, quantumuis numerus illorum videatur esse tenuissimus. Tandem verò, vbi delati fuerint prorsus omnes impij de terra, plena erit iustorum copia, ac perfecta felicitas, ita vt vaticinium hoc Dauidis omnino sit olim perfectè adimplendum.

Psalm. 1.

2. Deinde & hoc nota, quod cum suprâ impiorum prosperitatè herba virenti compararit. dicens: *Cum germinant impij sicut herba:* hinc iustorum fertilitatem in regno Christi palmæ ac cedro confert, quarum non est sterilis viriditas, sed admodum frugifera, quarumque fructus suaves sunt & iucundi. Expende secundum hanc imaginem, qualis sit & iustorum viriditas. Nec est sterilis, nec acerbos adfert fructus etiam ipsa, sed planè dulces, fidei videlicet & charitatis. Sed de fructificatione iustorum, vide Psalmo primo.

Plinius libro 13. cap. 5.

In cedro mysterium est, quod obiter indicasse suffecerit Plinius scribit duo esse maiorum cedrorum genera. Quæ floret, inquit fructum non fert, fructifera non floret, & in ea antecedentè fructum occupat nouus. Ea est & planè iustorum conditio. Sunt & hinc duo genera Vnum, iustitiariorum & hypocritarum, qui speciem pietatis, quasi florem quendam prædunt: fructum verò non adferunt, quos Apóstolus 2. Timoth. 3. notat, dicens Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Alterum, verè iustorum qui cum nihil minus videantur quàm frugiferæ arbores, eò quod ab hypocritis abhorreant, verè tamen atq; ita fructificant, vt fructus fructum sequatur. Non enim, sicut est Psal. 1. desinunt facere fructum: sicuti in cedro antecedentem fructum nouus subsequens occupat.

OBS. 3.

*Plantati in domo Domini.* ] Duo sunt hinc notanda. 1. Vnum, quod iustos non quibusuis, sed plantatis arboribus comparat. Hac de re vide Psal. 1. vers. 3.

2. Deinde, quod plantationi huic hortum assignat diuinæ culturæ, nempe domum & atria Dei. Huc pertinet quod Ezech. 47. de aquis è sanctuario domus Dei promanantibus, legitur: Et super torrentem, inquit, orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum. Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius. Per singulos menses adferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egredientur, &c. Ergo innuitur nobis huiusmodi vaticinijs, prouentum iustorum esse in domo Dei, idque ex fluxu cælestis gratiæ.

Locus hic admonet, quàm mali sint illi cultores domus Dei, qui iustos, quos Christus in horto suo plantat, totis viribus euellere & exterminare, ac vicissim impios & iniustos plantare conantur. At quicquid illi moliantur, scriptum est: *Plantati in domo Domini, in atrijs Dei nostri floreant.*

*Adhuc in senecta fructificabunt.* ] Obserua hinc, quanta nobis cælestis gratiæ perennitas & virtus depingatur, in eo quod iusti etiam in senecta fructificant, pinguesque ac virides sunt. Alioqui ex naturæ nostræ corruptione ita deprauati sumus, vt quò seniores, hoc peiores euadamus.

Deinde nota, quod non dicit, *Tantum in senecta fructificabunt:* sed, *Adhuc in senecta fructificabunt.* Semper fructificant iusti, idque ab ineunte ætate. Non est itaque iustorum propositum, quo quidam fructificationem hanc per omnem ferè vitam ad senectam reijciunt. Videant illi, ne se ipsi seducant. Difficillimum est, senis mutare linguam, nedum mores inueteratos exuere. Bonum contrà est a dolenti, si portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.

OBS. 4.

*Ad indicandum quod rectus sit Dominus.* ] Tria sunt hoc versu notanda. 1. Vnum, interitum impiorum ac prosperitatem piorum non simpliciter à nobis, sed signi & indicij loco considerari debere. *Ad indicandum,* inquit. Huiusmodi euentus, quæ aliud quid assignant, animum requirunt non stultum, sed sapientem.

2. Alterum, quid sit ex hoc indicio colligendum: Deum scilicet esse rectum, nec vllam esse in eo iniquitatem. Alioqui videtur esse iniustus & iniquus, quando florent impij, & affliguntur iusti. Contra eà tentationè facit indicij huius declaratio, quando impij opprimuntur, & iusti plantantur ac florent.

3. Tertium. Huic veritati, nempe Deum esse rectum, nec vllam in eo esse iniquitatem, innitendū esse tanquam firmisimæ rupi. *Rupes mea,* inquit Sunt itaq; ista ad hoc populo Dei proposita, vt sese contra tentationem hanc admodū grauem cõmuniat, nec dubitet Deum esse rectum: idque olim manifestū futurum, vbi prorsus interibunt impij, floreant verò contrà pij, ac in sempiternum felices erant.

PSAL.